

concurso primæ causæ, pendet ab illa essentialiter in agendo, et subordinatur illi, quæ est unica ratio propter quam dicitur virtutem causæ secundæ indigere nova motione. Unde cum illa dependentia et subordinatio ad primam causam non proveniat ex ratione qualitatis, sed ex transcendentali ratione entitatis, vel virtutis causæ creatæ, profecto æque procedit ratio in quacumque entitate, sive qualitas, sive motio vocetur. Quod si in illa ultima entitate, qualitate, vel motione optime intelligitur dependentia, et subordinatio ad primam causam sine additione præviæ motionis, cur non etiam in quacumque virtute activa causæ secundæ, et in suo ordine completa, intelligi poterit? Atque vis hujus rationis, ex his quæ in dubio 11, capite sequenti, dicemus, magis innotescet.

34. *Quarta, de insufficientia omnis virtutis create ad agendum ante auxilium efficax; non erit auxilium sufficiens.*—Quarta et potissima ratio erat, quia alias nulla virtus creata ante prævium Dei concursum esset sufficiens ad suum effectum, et sic in ordine gratiæ ante auxilium efficax non erit auxilium sufficiens, quod dici non potest, quam rationem semper existimavi in hac materia efficacissimam. Et quamvis P. Ledesma graviter ferat quod illam plus justo exaggeraverim, nihilominus ipse refert P. Joannem Vincentium, ejusdem secum familiæ doctissimum virum, illam insolubilem reputasse, fuisseque illa convictum, ut necessitatem auxilii physice prædeterminantis negaverit. Sed de hac motione in libro 5 ex professo dicturus sum; nunc solum dico ipsi etiam P. Ledesma visam esse illam rationem efficacem, ad probandum talem concursum non posse esse necessarium propter complementum virtutis causæ secundæ ad agendum. Nos autem, ut opinor, non minori efficacia ostendimus illum concursum, eo modo quo ab ipsomet Ledesma ponitur, esse complementum virtutis, cum dicat illum esse qualitatem et principium per se efficiens actionem causæ secundæ, sine quo talis actio fieri non potest. Ergo si illa ratio efficaciter probat non requiri complementum actus primi seu virtutis causæ secundæ, efficaciter etiam refellit necessitatem talis concursus prævii; nec minus convincit hæc ratio contra P. Alvarez et alios qui negant illum concursum esse qualitatem, et concedunt esse complementum virtutis et actus primi. Nam si est complementum necessarium ad actum primum completum, parum refert quod sit qualitas vel entitas alterius gene-

ris; eujuscumque enim sit, si deest, jam actus primus non est completus; ergo nec integer; ergo nec sufficiens, quia ad elicendum actum secundum, solus actus primus integer et completus est sufficiens, ut ipsum nomen sufficientis evidenter indicat, et in libro quarto latius dicturi sumus, et in quinto amplius urgebimus.

35. *Diluitur replica P. Ledesma.*—At vero P. Ledesma pro illa sententia respondet mirabiliter art. 11, conclus. 2, auctores qui dicunt concursum prævium esse completivum et consummativum auxilii sufficientis, non negare auxilium sufficiens, sed potius eo ipso supponere illud; nam id quod completur et perficitur, supponitur ad tale complementum, quia in omni re complementum et consummatio rei distinguitur ab illa, sicut existentia est complementum essentialis, et ideo ab illa distinguitur. Sed imprimis responsio est contra mentem illorum auctorum, quos ipse ibi explicare conatur; nam de illis refert negasse necessitatem talis complementi, quia non supponeretur auxilium sufficiens; ergo non poterant in sua sententia illud supponere, ut compleretur, sed potius ut vere possit supponi, necessitatem talis complementi auferendam judicabant. Deinde illa responsio abutitur verbis; nam si complementum illud est necessarium, ut virtus agendi sit integra et completa, non potest dici complere auxilium sufficiens tanquam supponens illud, sed tanquam completens et integrans illud; sicut ultima unitas est necessaria ad complementum numeri in tali specie, vel sicut ultimus terminus naturæ ad complementum suppositi est necessarius. Quæ exempla ostendunt falsum esse illud principium: Complementum rei distinguitur a re. Neque exemplum de essentia et existentia est ad rem, quia existentia non complet essentiam in ratione essentialis, sed in ratione entitatis actualis, et in hac ratione non supponit illam, neque potest non includere illam.

36. *Completur quarta ratio.*—In præsentibus ergo quarta illa ratio, qua idem etiam auctor utitur, in hoc sensu procedere debet, ut sit efficax, quod si auxilium prævium dat complementum actus primi, et est necessarium ad illum, complet formaliter et intrinsece auxilium sufficiens, et in hoc sensu evidenter probatur illo argumento, quod actus primus non est sufficiens, nisi in tota virtute necessaria ad actionem completus sit. Et ita ratio illa, qua isti auctores convincuntur ad negandum quod talis concursus prævius sit necessarius

ut complementum actus primi, absolute vincit illum concursum prævium non posse esse necessarium, cum ponatur esse principium per se ac necessarium actionis et effectus causæ secundæ; loquor autem semper de necessitate talis complementi, quia si non ponatur ut necessarium, sed ut utile, vel augens virtutem, sic non procedit ratio, quia potest supponi auxilium sufficiens, et nihilominus perfici per aliud auxilium; tunc autem non complebitur prius auxilium in virtute necessaria ut fiat actio, sed augebitur virtus ut melius vel facilius operetur. Ratio ergo procedit de complemento actus primi necessario, et sic redargutio et repugnantia dictorum videtur manifesta.

37. *Altera replica rejicitur.*—Ultimo tamen respondere possunt, quod interdum etiam insinuant, virtutem causæ secundæ esse completam in suo ordine, et in eo compleri non posse, ac proinde sufficientem esse; auxilium autem prævium esse necessarium in alio genere, et non ut actum primum causæ secundæ, sed ut virtutem primæ causæ, per quam applicat causam secundam ad operandum, influendo etiam per eundem concursum in operationem causæ secundæ, et ideo neque esse superfluum illum influxum, quia est in alio genere, neque illum concursum indigere alio prævio, quia ipse est jam completus in illo ordine. Sed hæc responsio habet peculiarem difficultatem in præsentibus materia de auxiliis gratiæ, quia in ordine gratiæ non dantur auxilia prævia ut simpliciter necessaria, nisi ad supplendum defectum proximarum virtutum in potentiis naturalibus et in homine lapsu, quæ difficultas specialiter est in homine supernaturaliter operante sine habitu infuso; nam in illo auxilium efficax dicitur dare totam illam proximam virtutem operandi; quomodo ergo sine illo habet auxilium sufficiens? Aut quomodo in illo auxilium efficax non est propriissimus actus primus causæ secundæ? Sed hæc et similia in libro 5 remitto. Nunc præstendo in generali disputatione de concursu necessario primæ causæ, duobus modis evasionem illam impugno.

38. *Prima refutatio.*—Primo, quia licet virtus activa causæ secundæ sit completa in suo genere, nihilominus præcise spectata non habet actu totam activitatem intrinsecam sibi necessariam ad agendum, sed partim habet illam in actu primo, partim tantum in potentia vere passiva, quatenus potest recipere in se qualitatem illam concursus prævii; ergo non simpliciter, sed tantum secundum quid

est sufficiens ad effectum suum efficiendum, nec poterit dici actu simpliciter sufficiens, donec prævium concursum actu receperit. Et quamvis demus hunc concursum se tenere ex parte Dei, quasi vices ejus supplendo, hoc non obstabit quominus sit verus actus primus potentia causæ secundæ informans illam, et consequenter reducens illam de potentia receptiva in actum primum utique activum; ergo hoc non obstat quominus vere constituat illam in esse completæ potentia activæ simpliciter sufficientis ad talem effectum. Declaratur a simili in potentia visiva; nam præcise spectata, ut est potentia animæ, habet totam activitatem, quæ ex parte potentia proximæ ad videndum est necessaria. Nihilominus tamen, quamdiu illa potentia non habet actu speciem visibilem, sed est in potentia receptiva illius, illa activitas est simpliciter incompleta et insufficientis; et species postea illi impressa, licet sit quasi semen objecti, et instrumentum vicem ejus subiens ad concurrendum cum potentia, nihilominus est verus actus primus potentia visivæ, eam reducens de potentia receptiva in actum primum activum, et completivum integræ virtutis visivæ in suo genere; ergo idem est in præsentibus, servatur enim eadem proportio, solumque est differentia, quia in visu necessitas speciei est ex peculiari ratione potentia cognoscitivæ; in potentia vero creata, ut sic, dicitur oriri illa necessitas ex generali ratione virtutis creatæ; hoc autem nihil impedit quominus, servata proportione, tam incompleta sit omnis potentia creata ad suam actionem, quatenus est potentia visiva sine specie ad visionem elicendam. Et hoc satis est ad vim quartæ rationis, quam supra ponderavimus, quia sicut visus carens specie non potest dici sufficiens ad videndum, nisi remote et in potentia passiva, donec speciem actu habeat, ita omnis virtus creata omneque auxilium antecedens tempore ad auxilium efficax, non potest dici sufficiens simpliciter nisi remote, et in potentia passiva. Quam vero falsum et absurdum hoc sit in negotio gratiæ, in lib. 4 et 5 videbimus.

39. *Secundo impugnatur illa replica numero 37 dicta.*—Secundo, impugno illam evasionem, quia si ille concursus prævius non est necessarius ut ipsam potentiam creatam compleat in virtute agendi, sed tantum ut sit virtus instrumentaria Dei, supervacaneus est: nam cum Deus per seipsum intime sit in causa creata et in illius virtute, per suam etiam virtutem increatam potest juvare causam secun-

dam ad agendum, et non indiget virtute creata media, per quam ipse operetur id quod est sibi proprium in actione causæ secundæ. Declaratur exemplo adducto de potentia visiva, tam corporali quam spirituali: nam quia indigeo juvamine et determinatione objecti ad visionem, ideo quando objectum per seipsum non potest adesse potentia ad suum auxilium vel determinationem præstandam, id facit per motionem vel qualitatem mediam, quæ sit instrumentum ejus, ut est species impressa; quando vero objectum per se adest potentia, et totum illud munus per se præstare potest, non intervenit illa motio prævia per impressionem speciei, quæ sit veluti instrumentum, ut in visione beata, et aliis multis philosophamur. Eadem autem ratio et proportio in præsentia causa invenitur.

40. *Confirmatur ex sancto Thoma.* — Unde D. Thomas, quæst. 3 de Potent., art. 7, in corpore, in ultimo modo quem ponit, quo causa prima operatur in operatione causæ secundæ, tanquam principalis causa in cujus virtute causa operatur ad esse, manifeste declarat illam virtutem Dei, per quam virtus causæ secundæ suo effectui conjungitur, et in qua nititur in operando, non esse aliam a virtute increata ipsius Dei; dicit enim illam virtutem non distingui ab essentia et substantia ipsius Dei. Et inde colligit differentiam inter cælum et Deum, nam cælum operatur cum causa secunda per virtutem emissam, et a se distinctam, ubi non est. Deus autem ubique est, et virtus ejus idem est quod ipse: *Et ideo* (inquit) *potest dici quod Deus in qualibet re operatur, in quantum ejus virtute (utique idem est quod ipse) indiget ad agendum.* Ergo ad influxum per se et proprie effectivum, quem Deus exhibet causæ secundæ ad opus ejus, non indiget Deus illa virtute emissa creata et instrumentaria; ergo si illa est necessaria, oportet ut sit ex indigentia ipsius causæ secundæ, quæ per se est in potentia tantum passiva quoad complementum virtutis agendi. Quod si hanc indigentiam non habet, profecto concursus ille prævius non est necessarius propter efficientiam per se, cum etiam ex parte Dei necessarius non sit. Seclusa autem efficientia per se, nullam utilitatem, nedum necessitatem habere potest, ut supra probavi. Ergo vel fatendum est potentiam causæ secundæ esse per se insufficientem in actu primo, vel superfluum illud concursum prævium.

41. *Confirmatur secundo ratione.* — Accedit quod, etiam posito illo concursu prævio et ef-

ficientia ejus, necessarium est ut Deus immediate, per seipsum et per suam virtutem increatam, immediate influat in actionem creaturæ; ergo si quæ est efficientia in illo concursu, illa non se tenet ex parte Dei; ergo oportet ut vel sit ex parte causæ secundæ, et ad complendam insufficientiam virtutis ejus, vel impertinens sit. Antecedens supra probatum est, et auctores illi illud negare non audent. Posterior etiam consequentia nota est, cum sufficienti partium enumeratione, tum ex omnibus dictis. Prior autem consequentia probatur, quia nulla alia ratio suadet, imo nec permittit ut Deus duplici via (ut sic dicam) præbeat efficientiam ex parte sua necessariam ad actionem causæ secundæ. Cur enim per eandem suam virtutem increatam non præbebit totum suum influxum ad effectum causæ secundæ necessarium? Denique tota necessitas hujus concursus prævii ponitur ex parte causæ secundæ, quia quantumvis sit in sua natura perfecta, est in potentia, et debet prius reduci in actum, et quia non potest esse movens, nisi mota; ergo, consequenter loquendo, omnino fateri necesse est hunc concursum prævium requiri, ut complementum necessarium ex parte ipsius causæ secundæ; unde, cum non possit esse tantum ut conditio sine qua non, necessarium erit ut sit complementum virtutis per se activæ necessariæ ex parte ipsius causæ secundæ. Qui ergo hoc concedere recusant, a propria sententia recedunt, et sibi contradicunt: qui autem illud admittunt, non possunt sufficientiam causarum secundarum tueri, et ita etiam suo se gladio jugulant. Nec rationem reddere possunt, cur Deus non potuerit causis dare integras virtutes activas, ex parte ipsarum necessarias, permanentes et per suas entitates; vel, si potuit, et dedit, ad quid sit nova virtus per se agendi necessaria. At si illa necessaria non est, nec sola nova conditio sine qua non esse poterit necessaria, ut ostendi.

42. *Inde concluditur via nonum et decimum dubium explicari consequenter posse.* — Difficillimum ergo mihi videtur in ea sententia ita expedire hæc duo dubia, nonum et decimum, ut consecutio doctrinæ in tota illa sententia teneatur, faciliusque (ut ego opinor) id fieret ponendo illum concursum tanquam conditionem puram sine qua non, ut in principio hujus controversiæ a multis illius partis defensoribus doceri audivi, et interdum expertus sum. Quia vero postea efficaciter ostensum est, talem conditionem sine efficacia per se, esse voluntarie assertam, neque explicari posse quid

sit, aut cur sit necessaria, ut paulo antea declaravi, ideo posteriores illius prævii concursus defensores in aliam sententiam de causalitate per se inclinarunt. Verumtamen, ne sufficientiam virtutum causarum secundarum, vel aliorum auxiliorum gratiæ negare videantur, coacti sunt simul dicere tale auxilium prævium esse principium per se actionis causæ secundæ, et ipsi causæ secundæ inhærens prius natura quam operetur, esseque necessarium ad actionem, et nihilominus non esse actum primum, nec complementum ejus, neque ad actum primum pertinere, sed potius ad actum secundum, ac denique illi concursui prævio attribuere ea quæ concursus simultanei propria sunt, quæ omnia, iudicio meo, difficultatem et obscuritatem doctrinæ, ne dicam etiam repugnantiam, ostendunt, et ex sequenti capite amplius difficultas patebit.

CAPUT XXXIV.

UTRUM CONCURSUS PRÆVIUS SIT SEPARABILIS A SIMULTANEO, SEU AB ACTIONE CAUSÆ SECUNDÆ, ET E CONVERSO.

1. *Quæstio an prævius sit re et duratione separabilis ab actione et effectu causæ secundæ.* — *Opinio negans.* — Quæstio hæc ex hypothesi procedit, sicut aliæ quas de hoc concursu tractavimus, et duo alia continet dubia. Primum, et in ordine undecimum sit, an concursus iste prævius sit in re ipsa et duratione separabilis ab actione et effectu causæ secundæ, vel, quod perinde est, a concursu simultaneo; quæ interrogatio non habet locum in illa sententia, si intelligatur ex natura rei tantum, seu de potentia ordinaria Dei. Omnes enim ejus assertores pro comperto habent non posse separari, quia talis concursus est auxilium natura sua efficax, id est, efficaciter faciens causam secundam operari, et propter alias rationes quas nunc subjiciam. Intelligitur ergo quæstio de potentia Dei absoluta. Et in hoc etiam sensu dicti auctores docent non posse tale auxilium dari in re sine effectu et actione causæ secundæ. Ita docet maxime de auxilio efficaci divinæ gratiæ Alvarez, disput. 83, cum aliis quæ ibi allegat: unde cum ibidem doceat eandem proportionem loquendum esse de illo auxilio efficaci, qua de generali concursu prævio, idem sine dubio de isto sentit, ut satis etiam expressit disput. 19, concl. 3, ration. 1; latius et expressius idem tradit Ledesma dicta quæst. unica, artic. 3 ad 7, et artic. 13 ad 6, et sæpe alias.

2. *Probatur ea opinio multiplici ratione.* — Qui auctores consequenter loquuntur; nam si aliquando vel semel posset concursus prævius separari a concomitante, posset manere in potentia ad agendum, et consequenter, juxta illorum principia, indigeret alia prævia motione, et posset postea de potentia in actum reduci, et sic haberet locum processus in infinitum, et alia argumenta supra facta. Ipsius autem separationis repugnantiam his rationibus suadent. Primo, quia impossibile est causam secundam actu moveri a Deo, et ipsam non actu operari, ex D. Thoma 1. 2, quæst. 112, art. 3, et 2. 2, quæst. 24, art. 11. Deus autem per concursum prævium movet causam secundam efficaciter ad operandum; ergo impossibile est non operari; ergo impossibile est non recipere simul tempore auxilium simultaneum. Secundo, quia ille concursus prævius semper datur ex voluntate efficaci Dei, quod causa secunda operetur; sed stante illa voluntate Dei, impossibile est non sequi effectum; nemo est enim qui voluntati ejus possit resistere, ut dicitur Esther cap. 3; ergo. Tertio, quia Deus est movens infinitæ virtutis; ergo si efficaciter movet causam secundam ut operetur, etiam infallibiliter illa movetur et operatur; sed Deus efficaciter movet per illum concursum prævium; ergo. Quarto, non potest Deus velle dare concursum simultaneum sine operatione causæ secundæ; ergo neque prævium. Probatur consequentia, quia uterque est verus concursus, ut ipsum nomen præ se fert, et concursus intelligi non potest sine alterius cursu.

3. *Alia opinio affirmans de potentia absoluta esse separabilem.* — Nihilominus aliqui etiam ex discipulis D. Thomæ, ut Ledesma supra refert, dixerunt de potentia absoluta posse præviam motionem imprimi a Deo causæ secundæ, et simul impediri ne sequatur actio ejusdem causæ secundæ; quæ quidem sententia, si ipsa per se consideretur, rationabiliter videtur habere minorem doctrinæ consecutionem, ac subinde ex utraque simul sumpta ostenditur concursum illum prævium, vel superfluum esse, vel multæ repugnantia involvere. Probatur ergo primo hæc sententia absolute sumpta; quia concursus prævius realiter distinguitur ab actione causæ secundæ, et a concursu simultaneo, ut supra ostensum est, et concursus prævius est prior natura, et independens ab actione causæ secundæ; in his enim quæ realiter distinguuntur, non implicat prius separari a posteriori a quo non pendet; ergo in præsentia non repu-